

suae inobedientiae, et incredulitatis versa est in statuam salis, *Genes.* xix, 26, ibi: *Respicensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Et *Sapientiae* x, n. 7, ibi: *Et incredibilis animae memoria stans figmentum salis.* Et quamvis verisimile sit illam non nisi venialiter, atque ita in purgatorio expiatam animam salvam esse, voluit tamen severus punire Deus, et novo salis exemplo fatuus docere credendum in omnibus, et obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retro, aut tergiversandum, Ita Rupertus, Prosper, et alii apud Tirinum in *Genes.*, c. 19, n. 26, qui recte addit in eandem sententiam, ipsummet Christum dicere *Luc.* xvii, n. 31: *Memores estote uxoris Loth.*

(2. De hac Loth uxoris versione in statuam salis variae sunt opiniones, at, illis brevitate gratia relictis, communior et verior est, corpus uxoris Loth, retenta figura feminea, illic conversum fuisse in sal lapideum, et quidem durissimum, ac quasi metallicum; Sic Plinius, Solinus, Isidorus, Aulus Gellius, Petrus Hispanus, Calmet, Tirinus, et alii passim. Imo Irenaeus, Buchardus, Adricomius, alique plures asserunt illam statuam mulieris formam servantem hoc quoque tempore exstare inter mare Mortuum et montem Engaddi, in quem Loth confugit. Quinimo aliqui apud Calmetum *loc. cit.* addunt, rem sane incredibilem, ut ipse notat, quod nempe illa statua lapidea uxoris Loth infirmitatibus propriis, et muliebri sexui consuetis adhuc laboret.

ADDITIONES CASINENSES.

Sodomæ, finitimarumque urbium incendio territus, et diutius in Segor degere Loth veritus, in proximi montis specum una cum suis filiabus se contulit. Hæ homines interisse, orbemque nisi per ipsas novis incolis donaretur, defecturum sibi suadentes, patrem inebriarunt; natuque major, quin rem ille perciperet, ex eodem filium concepit, qui *Moab* appellatus, Moabitarum pater exstitit. Altera vero filia ex patre iterum inebriato, nocte sequenti concepit *Ammonem*, ex quo deinde Ammonitæ.

Qui incestum illum Loth cum filiabus in examen revocarunt, quidquid est criminis in ea re discutientes, in varias abeunt sententias. Excusandi alii Loth, et filia videntur, neminem excusandum alii maluerunt. Simpliciores puellas, et ignorantem rerum Loth eo nomine excusat S. Irenaeus lib. iv, cap. 51, cum maxime, ait, vir ille non ductus libidine scelus perpetraverit. Rem totam ita statuisse Deum observat, ut permitteret filias Loth commisceri cum patre, ut ea veluti figura exprimeretur fecunditas a J. C. Synagogæ, et Ecclesiæ colata. Apologiam pariter Loth et filiarum instruit S. Chrysost., hom. 44 in *Genes.*, singulari divinæ sapientiæ dispositione factum arbitratus, ut vir ille justus, epoto largius vino, ita mentis impos fieret, ut quid eveniret non intelligens, a crimine esset immunis; nihil enim criminis est, quod

cognitione vacat, et voluntate. Excusat autem a crimine ebrietatis, quod tædio et mœrore potius, quam mala ingurgitandi vini voluptate ad bibendum invitaretur. Observat tandem Scripturam ipsam purgare quodammodo filiarum Loth a crimine voluntatem, cum illarum rectum consilium aperiat. Cum enim igne absumptum humanum omnigenus arbitrarentur, metu ne homines funditus perirent, patrem largius ingesto vino a mente abalienarunt, ne horrore actionis, quam necessariam credebant, retineretur.

Chrysostomum præceptorem pro suo more secutus Theodoretus, quæst. 70 in *Genes.*, excusari Loth ignorantie rerum arbitratur; notat enim Scripturam virum illum, sive ante, sive post, nihil novisse. Ejus quidem ebrietas a crimine penitus non absolveretur; sed si forte filiabus suis vinum affundentibus indulsit, factum id potius, quod crederet, illas tædium patris levaturas liquorem illum propinare. Tandem femine illæ nunquam criminis damnarentur; non enim voluptatis pellectum querebant, sed ob exitium hominum reparandum rem totam præstiterunt.

Eadem ferme ratione factum Loth, et filiarum excusat S. Ambros. lib. i *De Abraham.* Origenes, hom. 5 in *Genes.*, mediam viam tenens, Loth nec damnat omnino, nec prorsus absolvit. Ejus ebrietatem criminis habere aliquid fatetur; et nisi ille vinum intemperanter ingurgitasset, adeo ut a mente abalienari se sineret, scivisset profecto quid agerent filia, nec ab illis decipi se passus fuisset. Sed de incestu virum illum accusari nequaquam æquum esse defendit; neque enim quidquam vel de illo norat, vel voluntate in illum ferebatur. Filias porro, quanquam non prorsus eximendas a crimine arbitretur, hæc tamen pro illo leniendo affert: nempe ad adolescentulas illas aliquid pervenerat de suprema orbis vastatione per ignem; se i cum rumore tantum, nec totam ejus rei veritatem fuissent assecuta, reputarunt, incendio illo Pentapoleos hominum genus omne absumptum, eoque mundum redactum, quo olim post diluvium: curandum proinde, ut repararentur homines. Quanquam autem insito quodam horrore absterrentur ab incestu et a deceptione patris in re tanta, plus tamen mali reputarunt, si sua ipsarum causa hominum genus in suo exitio relinqueretur: adeoque bonum, quod exinde sperabant, criminis gravitatem longe superare arbitrabantur. Accesserunt ergo ad patrem, sed semel tantum. Tandem apologiam claudit his memorabilibus verbis: «Ubi hic libidinis culpa, ubi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur in vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor, inquam, ne castior fuerit harum incestus, quam pudicitia multarum.»

S. Augustinus in opere *contra Faustum* lib. xxii, cap. 44, omnia colligit hic supra adducta in defensionem Loth: sed pro ingurgitatio intemperantius vino excusandum illum minime arbitratur, ne illa quidem ratione, quod scilicet levaturus suum, et fi-

narum de obitu matris tædium, indulgendum aliquid voluptati potandi censeret. Eorum pariter rejicit apologiam, qui incestum hunc excusant, quod scilicet Loth typum exprimat veteris legis, puellæ vero Judæorum: «Illud factum, ait, cum in sacra Scriptura narratur, prophetia est: cum vero in illorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est.» Calmet, *Comment. in Genes.*, cap. xix, v. 32.

Porro idem Augustinus concludit in hæc verba: «Loth culpandus, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meretur. Nam et hanc lex æterna condemnat, quia cibum et potum ad ordinem naturalem, non nisi gratia conservandæ salutis, admittit,» *cit. lib. xxii, cap. 44.*

«Nos tamen (prosequitur August.) Scripturas sanctas, non hominum peccata defendimus. Non sic autem de hujus facti purgatione satagimus, quasi hoc Deus noster aut fieri jusserit, aut factum approbaverit, aut justis homines in illis libris appellentur, ut si vulerint, peccare non possent. Cum ergo Deus huic facto nullum justitiæ testimonium perhibuerit, qua dementia (Manichæi) hinc illas litteras (SS. Scripturas) accusare contendunt, cum (in) aliis earum locis apertissime inveniantur divinis præceptis ista prohiberi? Unde in illa re gesta de opere filiarum Loth narrata ista sunt, non laudata.» *Ibid.*, cap. 45.

Audiamus insuper D. Thomam, 2-2, q. 150, art. 4, ubi de ebrietate, et de Loth agit, in hæc sane verba: «In ebrietate duo attenduntur, scilicet defectus consequens, et actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare a peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum: quia si ex actu illo præcedenti subsequuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, sicut forte accidit de Loth.

«Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquid excusatur a peccato sequenti, quod scilicet redditor voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ inci-

dit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut, et diminuitur ratio voluntarii. Unde August. dicit contra Faustum, quod *Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.*»

Atque hinc ex occasione notamus «quod quamvis effectus illi pravi, qui frequenter accidunt in ebrietate, voluntarie se inebriantibus imputentur ad culpam, eo quod potuerunt prævideri, ac proinde sint voluntarii, saltem virtualiter, et in sua causa: nihilominus illi eventus, qui raro contingunt, nec fuerunt prævisi, ad culpam non imputantur. Et hæc de causa S. August. . . . excusat ipsum Loth ab incestu quem ebrius admisit . . . eo quod non prævidit incestum ex ejus ebrietate secuturum.» Sic Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 1, *De act. hum.*, dist. 1, n. 10.

Sed ad uberiolem rei explanationem lubet referre quæ a Cornelio a Lapide de Loth ac filiabus ejus notata sunt, hoc sane pacto:

«Joseph., S. Chrysost., Theod., Ambros., has filias Loth a peccato excusant, idque ex duplici capite. *Primo* ex ignorantia eorum invincibili; *secundo*, quod tali casu quo illæ solæ cum patre fuissent superstites, licita erat earum cum patre commixtio, ad servandum genus humanum, ait Ambros. lib. i *De Abraham*, c. 6. Sic enim Eva, quæ ex Adami costa est facta, itaque Adæ fuit quasi filia, ejusdem tamen fuit uxor; quia hæc erat tunc sola in mundo femina. Verum contrarium docet S. Augustinus, et communiter theologi. *Primo*, ignorantia hæc filiarum erat vincibilis; *secundo* concubitus filia cum patre est contra omnem naturæ pudorem: unde nullocasu, aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset (16), eumque concedat.» *In cap. xix Genes.*, vers. 31.

Et is idem clarus scriptor loquens de secunda ebrietate Loth, addit: «Hæc secunda ebrietas Loth majus peccatum fuit priori, quia ex priori expertus est jam vini potentiam, suamque temulentiam sapere debuisse, et cavere sibi que temperare a vino, ne in secundam incideret. Sed quis præsertim ita afflictus per omnia tam providus est?» *Vers. 35, ibid.*

LUDUS, SPONSIO.

SUMMARIUM.

1. Ludus quid sit? — 2. Ut ludus sit licitus, quatuor requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 3. Sponsio quid sit? — 4. Ut sponsio sit licita, quatuor etiam requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 5. Ludi contractus jure naturæ semper est licitus, quando in eo supradictæ quatuor conditiones concurrunt. — 6. Jure tamen positivo est prohibitus tam laicis, quam clericis ludus, qui sola fortuna et casu regitur, seu omnis ille qui alearum nomine venit. — 7. Hæc prohibitio quantum ad laicos non est in vigore, saltem ubi ludus est moderatus quoad pretium, tempus, modum, verba, et hujusmodi. — 8. An autem, et quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad clericos? *remissive.* —

9. Regulares et episcopi, propter eorum perfectionem statum, et propter scandalum, possunt præ aliis clericis facilius et gravius peccare in his ludis. — 10. Regulares ludentes lucri gratia pro pecunia, vel re pretio æstimabili, peccant contra votum paupertatis. — 11. Neque prælati possunt ad hoc licentiam concedere. — 12. Honestæ autem recreationis causa possunt regulares ludere aliquam parvam, et modicam pecuniæ quantitatem de licentia superiorum, dummodo non ludant ludis prohibitis, vel a jure, vel a regula, vel constitutionibus, seu scandalosis, aut religioso statui indecentibus. — 13. Hinc ludens cum religioso, et lucrans quod religiosus ludere non poterat, sive ratione ludi prohibiti, sive ratione quantitatis non sibi permissæ, tenetur restituere ipsi religioso, vel rectius religioni. seu con-

(16) Vid. *Addit. Casinenses*, v. *Matrim.*, ad art. 5.

ventui, cuius est filius. — 14. Similiter contra religiosus ludens ultra eam quantitatem quam potest ludere et perdere, non potest lucratum accipere; et si accipiat, tenetur restituere. — 15. Hæc procedunt non solum de religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis religiosis monasterii. — 16. Et probabilis victores tenentur ad restitutionem. — 17. Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro orationibus, aut psalmis, vel precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. — 18. An liceat sacerdoti ludere ludo alias licito cum laico hoc pacto, ut si laicus vincat, teneatur sacerdos dicere pro illo missam, rosarium, officium S. M. V. et huiusmodi; si vero vincatur, teneatur solvere sacerdoti unum julium, unam gallinam, seu aliam huiusmodi rem temporalem? — 19. Filius si alatur in loco distante a parentibus, potest ex alimentis moderate aliquid insumere in ludos honestos. Item illud, quod parcius vivendo, reservat; et tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. — 20. Filius degens etiam in domo patris, et a fortiori extra domum ipsius patris, si suo labore, et industria acquirat aliquid amplius, quam Pater expendat in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere; et si illud amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. — 21. Etiam si expresse constaret de positiva voluntate patris, ut filius nihil penitus ludo exponeret. — 22. Filius potest semel, etiam initio anni, ludo exponere omnem illam summam, quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam a patre, posset licite ludere per totum annum, et si illam totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amisisset, non tenetur victor illam restituere; dummodo sciat non amisisse antea cum aliis illam, vel aliam majorem summam. — 23. Si autem victor sciat, talem filium cum aliis jam amisisse totam illam summam, tenetur ad restitutionem. — 24. Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali filio supra eam summam, scienter lucretur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam quam filius ludere poterat. — 25. Si tamen victor scire non possit, an talis filius totam, vel partem dictæ summæ jam cum aliis amisisset, necne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam quam scit ludere potuisse. — 26. Filiusfamilias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, et quasi castrensia; et si ea amittat, non sunt ei restituenda. — 27. Filiusfamilias regulariter non potest ludo exponere bona adventitia absque patris consensu, et si exponat, et perdat, potest pater ea repetere. — 28. In tali autem casu, quo pater illa bona repetat, filius obligatur naturaliter de evictione erga suum victorem. — 29. De jure tamen communi positivo non obligatur civiliter ad illam coactionem. — 30. Filiusfamilias exponens ludo bona paterna, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, et cum illis lucrans notabilem summam, tenetur illam summam lucrata restituere. — 31. Si autem collusor fuerit conscius quod talia bona essent patris, et non alienabilia a tali filio, tunc talis filius non tenetur ei restituere dictam summam lucrata. — 32. Uxor, inscio et invito marito, regulariter loquendo, non potest exponere ludo bona ejusdem mariti; nec bona dotalia, et communia, et si exponat, et amittat, sunt a victore restituenda. — 33. Et si exponendo ludo talia bona, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere; secus autem si collusor fuerit conscius. — 34. Uxor potest similia bona moderate ludo exponere, inconsulto, et etiam irrationabiliter invito marito, in pluribus casibus, qui assignantur. — 35. Uxor potest de jure communi ludis exponere, inconsulto, et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona para-

phernalia. — 36. Ludens volens plus vincere quam possit perdere, peccat, et si plus vincat uno solo depositionis jactu, et cum una sola persona, tenetur illud plus restituere; secus autem si successive diversis jactibus, aut lusibus, aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus, seu colludentibus. — 37. Ludens cum animo deliberato non solvendi, si perdat, et id collusor ignoret, non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere quod lucratur. — 38. Secus autem si collusor id sciverit. — 39. Si vero etiam alter colludens similem animum non solvendi habuit, tunc qui vincit potest retinere lucrum. — 40. Ludens bona fide cum fure, et rem furtivam in individuo lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere domino, et non furi collusori. — 41. Si vero lucretur non ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam venditæ, potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere; secus vero si, perdit hoc pretio, fur sit impotens ad restituendum. — 42. Ludens pecunia furtiva, aut quomodocumque aliena, si quid lucretur, potest ipsum retinere. — 43. Sic qui, deficiente sibi in ludo pecunia, eam clam a colludente subripit, et eam postea lucratur, et non habeat quid proprium pro faciendâ debita restitutione talis pecuniæ furto subreptæ, tenetur restituere lucrum; si autem si habeat quid proprium unde restituat. — 44. Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus et coactus ad ludendum potest lucrari et retinere lucrum; trahens autem injuste non potest lucrari, et si lucretur, debet sic injuste tracto restituere ad n. 43. — 46. In ludo licitæ et permissæ sunt aliquæ deceptiones, seu simulationes, quæ assignantur. — 47. Sunt autem in ludo prohibitæ deceptiones et fraudes sequentes: *primo*, si quis designet chartas notis aliquibus oculis, vel quid simile efficiendo ut eas a tergo cognoscat; unde hic tenetur lucrum restituere, et id quod alter lucratus fuisset, nisi ipsa illas fraudes commisisset. — 48. *Secundo* si quis accuset plura puncta, ac habeat, et hac ratione lucretur, cæteroque amissurus: unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatam, sed etiam aliud æquivalens, quod ipse certo amisisset, si alter deceptus excedebat in punctis. — 49. — *Tertio*, si quis dolose primam manum subripiat in ludo sibi non competentem, sed alteri, et illa dolosa subreptione lucrum acquirat, cæteroque non acquisiturus: unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset. — 50. *Quarto*, si quis ex collusoribus, data opera, se constituat in loco ubi chartas adversarii videre possit, et de facto videat: unde si hic ex tali visione victoriam reportet, cæteroque non reportaturus, tenetur lucrum restituere. — 51. *Quinto*, si quis ludens, ex aliquo circumstante secreto admonetur de statu alterius collusoris facientis, seu urgentis sponsonem: unde hic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor; si vero ante talem monitionem anceps erat utrum acceptaret vel non, tenetur restituere solum quoad partem, et non quoad totum, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem monitionem jam absolute, et vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur. — 52. *Sexto*, si quis ludens alteri collusori non advertenti minus solvat quam perdidit: unde hic tenetur absolute restituere reliquum quod non solvit, et vere perdidit. — 53. An ludens peccet contra justitiam, et teneatur ad restitutionem, si non moneat collusorem errantem contra se in numerandis punctis, vel in accipiendi primam manum sibi competentem in ludo, et ideo ipse perdat, et ille lucretur. — 54. An multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, teneatur ipsi restituere lucrum ab eo

reportatum ratione talis suæ majoris peritiæ? — 55. Lusor qui ludo exponit monetam malam, si habet verum animum sustinendi bonam in casu quo perdat, potest licite retinere quod cum ipsa mala lucratur. — 56. Ludentes ludo legibus prohibito, per se loquendo, secluso scand. et contemptu, aliove malo accidente nec peccant, nec si lucretur, tenentur lucrum restituere in foro conscientie ante sententiam judicis. — 57. Potest tamen victus terrere victorem comminando ei repetitionem luctri, seu pretii soluti in judicio, et sic pacisci cum ipso extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, seu restituenda, eo quod juri suo cedat non repetendo in judicio. — 58. An si victus solum fide minetur, non habens animum vere repetendi in judicio, sit tatus in simili transactione? — 59. Qui ludo prohibito lusit credito, et perdidit, est in conscientia naturaliter obligatus ad solvendum. — 60. An qui ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solum repetendi per sententiam judicis, si perdat, possit licite retinere lucrum in casu quo lucretur? — 61. Quamvis

(1. Ludus est contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut victori in præmium victoriæ cedat quod singuli deposuerunt. Est in re communis. Ut ludus sit licitus, quatuor requiruntur conditiones. (2. I. Ut ludens non utatur dolo et fraude. II. Ne alter alterum compellat ad ludum per vim, aut verbis contumeliosis. III. Ut ludens disponere possit de re quam ludo exponit. (3. IV. Ut sit æqualis conditio colludentium. Sic doctores communiter. Vide alias conditiones in *Addit. novis*.

(4. Sponsio est contractus in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit qui veritatem assecutus fuerit. *Est in re communis*. Ut sponsio sit licita, quatuor requiruntur conditiones I. Ut fiat super re dubia. II. Ut sit æqualitas in re quæ spondetur cum æquali incertitudine. III. Ut dubius sit eventus in utroque. IV. Ut uterque eodem sensu accipiat id de quo certatur. Sic doctores communiter.

(5. Ludi contractus jure naturæ semper est licitus, quando in eo supradictæ quatuor conditiones concurrunt. *Communis*; et ratio est, quia sicuti est in potestate ejusdemque rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quavis conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat: Imo Laymann lib. III, tr. 4, c. 21, n. 1; Reiffenstuel, tr. 8, *De contract.* dist. 4, q. 9; Molina, tom. II, disp. 310, in fine, et alii ex S. Thoma 2-2, q. 168, art. 2, colligunt quod si ludus debito modo instituat, sit actus duarum virtutum, scilicet justitiæ et eutrapeliæ, et utilis sit ad evitandum otium, et quæ inde sequuntur mala.

(6. Jure tamen positivo est prohibitus tam laicis quam clericis ludus qui sola fortuna et casu regitur, seu omnis ille qui alearum nomine venit. De laicis patet l. *Victum* 1, cod. *De aleatoribus et alearum, lusu* l. *Alearum*, ult. cod. *De religiosis et sumptibus funerum*; l. *Prætor* 6, ff. *De aleatoribus*, ubi sancitur ludentes esse puniendos; et hoc est statutum ad evitanda gravia mala ex ludis non raro evenientia, ut sunt perjuria,

victus antecedenter renuntiaverit dicto beneficio legis, potest nihilominus postea adhuc uti tali legis beneficio. — 62. Si tamen renuntiaverit cum juramento, tunc stare debet tali juramento. — 63. An in tali casu possit petere relaxationem dicti juramenti. — 64. An victor possit licite impedire ne a judice condemnatur ad restitutionem. — 65. Quoad sponsonem eadem proportionaliter concludenda sunt, quæ de ludo. — 66. Qui certus est de eventu, vel veritate rei, regulariter loquendo nequit sponsonem inire, et inde lucrum recipere. — 67. Si quis a principio certus videatur de veritate rei quam sustinet, et postea altero pertinaciter contradicente, et spondere volente, incipiat formidare, et dubitare, poterit tunc licite spondere et lucrari. — 68. An quando qui habet certitudinem, protestatur se esse certum, nec velle, aut posse spondere, et tamen ille alius contendit, et vult spondere non obstante illa sibi protestata certitudine, ille possit sponsonem acceptare, et lucrum inde recipere seu receptum licite retinere. — 69. Subnectuntur *Addit. ex alien.* ad n. 83.

blasphemiarum, honorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixæ, homicidia, et huiusmodi; unde etiam Horatius scripsit:

Nam ludus genuit strepitum certamen et iram.

De clericis habetur expresse in canon. 41 et 42 apostolorum, cap. *Episcopus* 1, dist. 35; capit. *Clerici officia*, 15 *De vita et honestat. clericor.*, conc. Trid., sess. xxii, capit. 1, *De reformat.* Imo non solum legibus ecclesiasticis et canonicis est ludus prohibitus clericis, sed etiam legibus cæsareis et civilibus, ut expresse habetur in *Authent. Interdicimus*, cod. *De episcop. et clericis. Vide* verb. *CLERICUS*, art. 5, n. 1 et 2, ubi afferuntur omnes præcisi textus.

(7. Hanc tamen prohibitionem quantum ad laicos non esse in vigore, saltem ubi ludus est moderatus quoad pretium, tempus, locum, modum, verba, et huiusmodi, declarat totius orbis praxis recepta, et etiam a valde timoratis frequentata.

(8. An autem et quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad clericos *Vide* d. verb. *CLERICUS*, art. 5, an. 3 ad 9, et verb. *VENATIO*, n. 1.

(9. Regulares autem et episcopi, propter eorum perfectiorem statum et propter scandalum, possunt præ aliis clericis facilius et gravius peccare his ludis. Rebellenim, lib. XII, q. 2, censet religiosos et episcopos non posse excusari a veniali, si vel semel ludant, nisi urgeat necessitas excitandi vel recreandi infirmum, et huiusmodi, cui non possit aliter satisfieri, Diana autem part. VII, tr. 9, resol. 4., ex Molina t. II, disp. 21, n. 6; *Dicast.*, Lug., disp. 31, n. 12, putat religiosos et episcopos in ipsis ludis a peccato gravi excusari vix posse. Et *Alcozer, Lib. de ludo*, c. 11, absolute dicit episcopos et religiosos peccare mortaliter, quando ludis velitis ludunt, nisi ubi consuetum est, et absque pravo exemplo sæcularium, ob levandum aliquem infirmum, vel coniectum in carcerem, et ob solam animi recreationem, quod verum putant Sanchez. lib. I, *concil.*, c. 8, dub. 28, n. 9; Molina, l. cit.; Lugo, loc. cit., n. 12; Bannes et alii, quia hi ludi multum dedecent statum religiosorum et episcoporum.

(10. Regulares ludentes luci gratia pro pecunia, vel re pretio aestimabili, peccant contra votum paupertatis, quia res, quas habeant sibi concessas tantum ad usus necessarios et utiles, expendunt in usus non necessarios nec utiles, et exponunt iacturæ illicitæ, quod utrumque est contra votum paupertatis religiosæ. Sanchez, lib. vii in *Decalog.*, c. 19, n. 76; Medina, lib. i. *Summ.*, cap. 14; Tamburin., *De jur. abbat.*, t. II., disp. 21, q. 12, n. 1; Bonac., *De contract.*, disp. 2, q. 3, punct. 1, n. 9; Lezana, in *Summa, qu. regular.*, tom. I, c. 6, n. 50, et tom. IV, verb. *Ludus*, n. 10, et alii passim.

11. Neque prælati possunt ad hoc licentiam concedere, quia cum non sint domini, sed tantum prudentes administratores honorum monasterii, seu conventus, sicut non possunt ipsi in proprios usus, nisi necessarios vel utiles, ea expendere, ita neque possunt subditis facultatem concedere, ut in alios quam in prædictos usus expendant, et tanto minus in ludos. Ledesma II tom. *Summe* tr. 31, c. 1, post 10 conclusionem; Sanchez, *l. cit.*, n. 80; Tambur., *loc. cit.*, n. 8; Saloni- us 2-2, *Tr. de Domin.*, q. 5, art. 6, dub. penult.; Molina, tom. II, *De justit.*, disp. 250; Lezana, *loc. cit.*, verb. *Ludus*, n. 11; Alcozer., *Lib. de ludo*, cap. 39; Petrus a Navarr., *lib. III De restit.*, c. 177; Navarrus comment. 2 *De regul.*, n. 15 et 18; Lessius, l. II *De just. et jur.*, c. 4., dub. 5, n. 33, et alii, et signanter sapientissimus P. Rosignolus *De restitutione* 11, disquisit. 1, § 8, n. 14, ubi habet sequentia verba digna ut hic ad literam referantur, ibi: « Nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem ea quæ habent singuli religiosi, etiam ex facultate superioris, sunt, nemine discrepante, quoad dominium monasterii; superior autem non est honorum monasterii absolute dominus, sed simplex dispensator et administrator; et quidem ad normam eorum quæ præscribunt instituta ordinis, et decreta, et sanctiones conciliares, et pontificiæ; sed administratores simplices et dispensatores non possunt administrare et dispensare, ut ea quæ sunt monasterii expendantur extra causas licitas et honestas; cæteroquin patrimonium Christi profunderetur in res illicitas et profanas: hinc absolute arbitror, etiam stante consuetudine, religiosos ludentes ludis vetitis alearum et taxillorum causa luci graviter peccare, quantumvis hoc præstent superioribus videtur, et non contradicentibus. Quod si hæc verificantur, etiam superioribus scientibus, quid erit dum fiunt remotioribus in abditis, ut passim contingit, ipsis omnino ignorantibus? An præsumetur eorum voluntas et concessio? Abominabile adeo hoc vitium est, ut religiosum statum et perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Oh! quam gravibus pœnis apud supremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religiosi ludentes, et superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversio-

nem? » Hactenus doctissimus et zelantissimus dictus pater Rosignolus.

(12. Honestè autem recreationis causa possunt regulares ludere aliquam parvam et modicam pecuniæ quantitatem de licentia superiorum, dummodo non ludant ludis prohibitis, vel a jure, vel a regula, vel constitutionibus, seu scandalosis ac religioso statui indecentibus; quia tunc ludus est honestus, et ille usus pecuniæ licitus. Lugo, tom. I, disp. 3, n. 144, ubi dicit hanc sententiam esse communem et veram: Major in 4, dist. 18, qu. 13, in solut. ad 2; Ledesma, tom. II, part. IV, q. 15., art. 5. Lezana, *loc. cit.*, c. 6., n. 50, et verb. *Ludus quoad regulares*, n. 10; Bonacina, *l. cit.*; Tambur., *loc. cit.*; Rosign., *l. cit.*, n. 21; et Portell., *Dub. regul.*, verb. *Ludus*, n. 2, subjungit: « Si vero quæratur quantum summam, seu quantitatem possit religiosus ludere, qualis quisque ille sit: Ego credo illum posse ludere illam quantitatem quam extra ludum licite donare vel alienare potest, juxta suam regulam et constitutiones; hæc enim regula certa est et generalis. Si enim v. g. tres regales donare potest juxta suam regulam et constitutiones, vel quid simile minus aut majus, idem etiam poterit alienare ludendo: parum enim interest, si potens donare vel alienare, donet aut alienet gratis, vel per ludum sibi alias licitum. » Et idem tenent Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n. 12; Azorius, tom. III, lib. v, cap. 25, qu. 8, dicentes posse regularem extra conventum existentem de licentia sui superioris, ex iis quæ sibi mittuntur ad congruam sustentationem, si aliquid modicum sibi subtrahat parce vivendo, illud exponere ludo, honestæ recreationis gratia; et sic etiam Sanch. l. 7 in *Decal.*, c. 19, n. 79, referens Valentiam, Lessium, Grassium, Salonium, et alios; et ita etiam Tamburin., *De jure abbat.* tom. II, disp. 21, qu. 12, n. 3, et alii. Qui tamen id limitant, nisi talis ludus sit prohibitus, aut indecens religioso, ut est ludus alearum, taxillorum, etc., vel prohibitus per regulam, aut constitutiones, quia ludo prohibito nec parvam, nec magnam quantitatem licet religioso ludere, etiam de licentia superioris, cum pro tali ludo non possit illam concedere. Salon., 2-2, *Tr. de Domin.*, q. 5, art. 6, dub. penult. Molina, tom. II *De just.*, disp. 520; Lezana, tom. I *Summ. quæst. regul.*, cap. 6, n. 50, et supra citati.

(13. Hinc ludens cum religioso, et lucrans quod religiosus ludere non poterat, sive ratione quantitatis non sibi permisæ, tenetur restituere ipsi religioso; vel rectius religioni, seu conventui, cujus est filius. Ledesma II part. *Summ.*, tract. 31, c. 1, post 10 conclusionem; Alcozer., *Lib. de ludo*, c. 37; Rosign., *l. cit.*, n. 20; Lezana, *l. c.*, c. 6., n. 51; Rodriguez *Add. summ.*, tom. III, c. 228, concl. 10; Rebell., *De oblig. just.*, II par., l. XII, qu. 5, n. 15; Portell., *Dub. regul.*, verb. *Ludus*, n. 3, et, ipso teste, omnes alii communiter. Et ratio est quia, cum religiosus nequeat tali ludo, vel talem quantitatem ludere, nec etiam sic ludens

cum illo poterit illam lucrari, adeoque si accipiat, tenetur restituere, et sibi imputare debet, quod non præcaverit abstinendo a ludo cum persona quæ incapax erat ad transferendum dominium rei, seu pecuniæ expositæ tali ludo.

(14. Similiter econtra si religiosus ludens ultra eam quantitatem quam potest ludere et perdere ex licentia sui superioris, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, et contingat tunc lucrari, non potest lucratum accipere, et si accipit, tenetur restituere. Salon. 2-2, post q. 61, q. 5, *De dominio*, art. 6, dub. penult.; Valent., 2-2, disp. 5, q. 6, punct. 5; Lezana, *loc. cit.*, c. 6, n. 51; Lessius, l. II *De just. et jur.*, c. 26, dub. 5, n. 32; Rosignol., *l. c.*, n. 21; Lugo, tom. I, *De just. et jur.*, disp. 3, sect. 7, n. 146, ubi dicit hanc esse communem sententiam doctorum, quos refert et sequitur Sanchez, lib. I *Consil.*, cap. 19, n. 86, quamvis aliqui apud ipsum Sanch., *ibid.*, n. 85, id negent. Et ratio est quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens æqualis conditionis sit in periculo amittendi et spe lucrandi; qui enim non potest perdere, non potest lucrari, sicuti qui non potest lucrari, non potest perdere; adeoque cum religiosus non possit tali ludo, seu ultra talem quantitatem perdere, nec poterit ultra illam lucrari.

(15. Quæ dicta sunt, non solum procedunt de religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis religiosis ejusdem ordinis, seu monasterii. Unde religiosi inter se ludentes ludis vetitis in magna quantitate, sive existet consuetudo, seu potius corruptela, sive non existet, graviter peccant. Rosignol., *l. c.*, n. 22; Lezana, tom. IV *Summ. quæst. regul.*, verb. *Ludus quoad regulares*, n. 10, et alii passim; (16. et probabiliter victores tenentur ad restitutionem. Rosign., *loc. cit.*, n. 23, et alii.

(17. Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro orationibus, aut psalmis, vel precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n. 7; Diana part. VII, tract. 9, resolut. 1; Sanch., *loc. cit.*, dub. 24, n. 15; Rebellus, lib. XII, Salas, dub. 23, n. 1; Lugo, tom. II, disp. 31, sect. 1, n. 5; Lezana, tom. IV *Summ. quæst. regul.*, verb. *Ludus quoad regulares*, n. 13; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 3, n. 15; Bonac., *loc. cit.*, n. 8; et alii contra Lopez II part. *Instr. conscient.*, cap. 34, in fine; Peyrin., tom. II *De prælato*, quæst. 2, cap. 2, § 5, n. 103; Vegam, verb. *Ludus*, c. 14, volentes non licere propter irreverentiam qua permiscerentur sacra profanis. At verius nulla in hoc est irreverentia erga res sacras, cum potius sit signum devotionis et pietatis erga illas, Deum et sanctos; et si quæ est irreverentia in eo quod prædicta dicantur sine devotione, aut reverentia, id est per accidens, cum possint et debeant devote et reverenter recitari; et talis est usus plurimum piorum, maxime apud religiosos.

(18. An autem liceat sacerdoti ludere ludo

alias licito cum sæculari, seu laico, hoc pacto, ut scilicet si laicus seu sæcularis vincat, teneatur sacerdos dicere pro illo missam, rosarium, officium B. M. V. et hujusmodi; si vero vincatur, teneatur solvere sacerdoti unum julium, unam gallinam, seu aliam hujusmodi rem temporalem? Negant multi, et Lugo, *l. c.*, n. 5, dicit posse esse periculum Simonie; sed id non esse Simoniam, nec quid illicitum tenent Rodrig. in *Addit. ad Summ.*, tom. III, cap. 228, conclus. 9; Portellus, *loc. cit.*, n. 4; Lezana, *loc. cit.*, n. 13; La Croix, lib. III, par. II, n. 1096; cum Diana, Francisco Bonæspei et Stephano a S. Paulo, ibi citatis. Nam, ut ibi dicit, non ideo res spiritualis æstimatur temporali, sed offertur exsecutio rei spiritualis loco temporalis, alioquin tradendæ, quæ commutatio licita est; si enim sacerdos debeat v. gr. 10 Julios alicui sæculari, licite offert 10 missas pro ipso legendas, ut sic ipsum moveat ad ei remittendos dictos 10 Julios; sic quisvis alius sacerdos offert licite missas alteri laico, ut ab eo recipiat triticum, vinum, pannum et aliam hujusmodi rem temporalem, ut passim fieri videmus.

(19. Filius, si alatur in loco distante a parentibus, potest ex alimentis moderate aliquid insumere in ludos honestos et licitos, v. gr. quinque ex centum. Item illud quod parcius vivendo reservet ex pecunia sibi missa, dummodo ea de causa non plura alimenta petat, et tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. *Communis.*

(20. Filius degens etiam in domo patris, et a fortiori extra domum ipsius patris, si suo labore et industria acquirat aliquid amplius quam pater expendat in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere, et si illam amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem; hoc enim fundatur in naturali æquitate et interpretativa et præsumpta rationabiliter voluntate patris consentientis in tali moderato ludo filii. Diana part. VII, tr. 9, res. 5; Rosign., *l. cit.*, *De restitutione*, 11, disquisit. 1, § 9, n. 16, et alii passim. (21. Imo etiamsi expresse constaret de positiva voluntate patris, ut filius nihil penitus ludo exponeret, volunt plurimi quod si filius nihilominus moderatam quantitatem ludo exposuerit et amiserit, nec ipse ejus pater possit ipsam repetere, quia ludi moderati et congrui ejusdem filii ætati et qualitati pertinent ad congruum ipsius statum, secundum quem pater tenetur eum alere et ei conferre quæ tali statui conveniunt: unde est irrationabiliter invitus, quod filius aliquid moderatum secundum suum statum et qualitatem exponat in ludis ab aliis suæ ætatis et conditionis frequentatis. Rosignol., *l. c.*, n. 16; Salas, *Tract. de ludo*, dub. 10, n. 1; Ledesma, in *Summa*, t. II, tract. 31, cap. 2, concl. 8; Alcozer, *Tract. de ludo*, cap. 14, et alii cum Sanch., lib. I *Consil.*, c. 8., dub. 7, n. 5; Lugo, tom. II, disput. 31; sect. 2, n. 20.

(22. Filius potest semel etiam initio anni